

S. F. N.

Dissertatio Academica,

*Brevem Controversiæ De
Hebraismis Novi Testamenti
Conspectum Exhibens,*

Quam,

Consent. Ampl. Fac. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,

Publicæ Disquisitioni Modeste Subjiciunt,

Auctor,

Andreas Johannes Mennander,
Philos. Magister ac Stip. Reg.

Et

Respondens,

Jonas Henricus Mennander,
Fratres atque Tavastenses.

In Audit. Minori Die VII Jun. An. MDCCCLXXXVIII.

H. A. M. S.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

Kyrko-Herden
Öfver Achas Församling,
Välårevördige och Höglärde
Herr Magister
JONAS HENRIC MENNANDER,
Samt
Välådla Frun,
MARGARETA CHRIST. MENNANDER,
Född SALOVIVS,
Våre Huldaste Föräldrar,

*Tilägnas detta Academiska Arbete, med all barnslig
vördnad, af*

Våre Huldaste Föräldrars

Ödmjuk-lydigaste Söner
AND. JOH. och JON. HENR. MENNANDER.



§. I.

Magna equidem ac diuturna inter eruditos de stilo Novi Testamenti agitata est controversia; quæ tamen nec levi de caufsa suscepta fuit, nec parum utilitatis rei hermeneuticæ attulit. Nam ad interpretandi subsidia recte paranda plurimum valet, sermonis ipsius veram indolem accurate cognitam habere; quamobrem minime fuit supervacaneum de ea inquirere. Orta vero dissensione, cum suam quisque sententiam, quantum in se esset, defendere conaretur; multa vel tunc primum in medium prolata fuere, vel etiam diligentius pertractata, quæ & interpretationem plurim locorum impense adjuvarent, & ad linguarum sacrarum naturam accuratius definiendam pertinerent. Post varias itaque disceptationes eo tandem perventum est, ut rem sine partium studio consideranti non admodum difficile sit verum reperire. Nam cum tres potissimum sint de stilo Novi Testa-

A

menti

menti sententiæ, una puritatem, altera vitiositatem, tertia denique hebraismos ejus defendens; hanc quidem ultimam & in se probabilissimam esse, & viris harum rerum peritissimis maxime hodie probari, animadvertere licet. Qua recte stabilita, superiores illæ statim corruant necesse est; siquidem dictio græca, quæ in Novo Testamento habetur, absolute pura existimari amplius nequit, & vitiositas ejus tantum non omnis tollitur, comparatæ cum hebraica pariter atque græca loquendi ratione. Ita enim illius natura æstimanda videtur, si modo id compertum ac exploratum fuerit, aliquos esse in libris Novi Fœderis loquendi modos, qui linguam hebraicam redoleant. Utilissimum ergo rati in hujus sententiæ ratione, quantum quidem tenuitas virium pateretur, perspicienda elaborare; scripta doctissimorum hominum eam illustrantia perlegimus. Postquam ita omnem de ea controversiam nobis familiarem reddidissimus, tecum Lector Benevole, id quod noramus, communicare non dubitavimus; ita faltem utilitatis non contemnendæ auctores futuri, si quem forte ad accuratius de re gravissima cogitandum impellere, vel ut melius eandem persequatur, movere possimus.

§. II.

Primus omnium, qui post renatas litteras de stilo Novi Testamenti separatim scripserunt, fuit HEN-

RI-

RICUS STEPHANUS. Is enim, cum anno MDLXXVI
 Biblia Græca in forma duodecima ederet, adjunxit
 his Dissertationem suam, qua pure græcam esse dictio-
 nem Novi Testamenti demonstrare conatus est. Plu-
 rimi autem postea ejus partes fecuti sunt, usque eo,
 ut quidam nullos plane hebraismos in scriptis Novi
 Testamenti admitterent. Ferebantur hi pio quodam
 zelo, quod aliter illa vere ab insultibus ac injuriis ho-
 stium vindicari non posse arbitrabantur. PFOCHENI-
 US igitur, STOLBERGIUS, MAJUS, ERASMUS SCHMI-
 DIUS, BLACKWALLUS, GEORGIUS & PALAIRET ve-
 luti duces pro hac caufsa militarunt.

Sed nec defuerunt, qui codices Novi Testamen-
 ti loquendi formulis hebraicam consuetudinem imitan-
 tibus scatere contenderent, viri, ut dicit Rev. ERNE-
 STIUS, litterarum græcarum & hebraicarum doctissi-
 mi. Verum hos quoque plus quam par erat, senten-
 tiæ suæ indulſſe, sunt qui ostendere nitantur. In
 primis autem GROTIUS, GATAKER, VORSTIUS &
 LEUSDENIUS in ista culpa ponuntur, quippe qui mul-
 tots pure græcos loquendi modos in numerum hebrai-
 smorum retulerunt. Sed sufficit ad rationem stili ve-
 ram constituendam, eum plane hebraismis non vaca-
 re; quod illis placet, qui medium hic viam ingressi
 sunt, ut J. H. & J. D. MICHAËLIS, quos instar omni-
 um tanquam principes & obsides hujus sententiaæ nunc
 solos nominamus. Neque id nobis est valde dubium,

quin omnes non opinionibus dueti, sed argumentis utrinque allatis attente pensitatis de hac re judicantes, illis facile concilientur. Itaque ad ea contemplanda nos jam conferamus.

§. III.

Omnibus igitur hebraismis linguam græcam Novi Testamenti haud carere, etiam rei ipsius naturam consideranti statim erit probabile. Quid enim aliud suspicari licet de his Scriptoribus, quibus lingua hebræa illa, quæ tunc vigebat, esset pæne omnibus vernacula, quique Bibliis vel hebraicis vel in græcum quidem sermonem, sed eum hebraismis refertum translatis a LXX Interpretibus uterentur, nisi eos græce scribentes aliqua saltē patrii sermonis vestigia prodidisse, præsertim cum linguam græcam ab iis didicissent, qui ne ipsi quidem pure illa loquerentur. Sed occurrit illud, ita quidem facturos fuisse, si sua sponte, suoque arbitrio scripissent; cum autem Spiritu Sancto dirigente scriperint, posse omnino hanc rem longe aliter esse comparatam. At illi ipsi, qui puritatem stili Novi Testamenti defendunt, Spiritum Sanctum se ad sribentium ingenium accommodasse & affirmant & rationibus satis idoneis probant; quin etiam id demonstrarunt tum alii, tum ERNESTIUS (a), nihil

(a) Qui quidem ita scribit (in sua Institutione Interpretis Novi Testamenti, Partis I, Sect. II, Cap. III, §. 14):

*) * (*)

nihil prorsus caussæ fuisse, cur aliter Sanctus ille Spiritus faceret, orationemque pure græcam inspiraret. Hinc ergo non obscure patet, quantopere judicium suum præcipitarint illi, qui convicium Spiritui Sancto fieri, librotumque Novi Fœderis divinam inspirationem dubiam reddi existimarent atque statuerent, nisi pro certissimo habeatur, Novum Testamentum pure græcum esse. Nam eo tandem redit omnis hæc disputatio, ut de eo disquiratur, quomodo lingua græca Scriptores Sacri de rebus a se scribendis cogitarent. Qui, cum nec in Græcia nati, nec litteris græcis ex industria instituti essent; nihil certe inopinatū erit, aliquid in scriptis eorum offendere, quod a purissima græcitate sit alienum, id quod viris tam græce quam hebraice scientibus revera contigit. Hi vero illud maximam partem sermoni hebraico tribuere

A 3

non

nec vero contentaneum erat, Spiritum Sanctum inspirare Apostolis orationem pure græcam. Nam ut omittam, neminem eos pro Auctoris illorum librorum habiturum fuisse, ipsi non intellexissent eam orationem, nisi alia inspiratione, multo minus plebeji e Judæis, quibus maxime scribebatur, qui ne probaturi quidem erant hoc genus dicendi, odio græcorum, & eloquentiæ græcanicæ, cum essent contra hebraizanti dictioni et lectione vel ipsius hebræi Codicis, vel versionis græcae Alexandrinæ adiueti. Denique cum doctrina Novi Testamenti niteretur fundamentis Veteris Testamenti, phrasin ejus quoque servari conveniebat."

non dubitarunt, & ambabus linguis ex instituto inter se comparatis, luculentissime apparuit, a Scriptoribus Novi Testamenti, praeter verba pure hebraica, partim vocabula græca novo sensu non raro usurpata, partim phrases & figuræ ad linguæ hebrææ genium formatas & adhibitas fuisse (b). Multa ejusmodi hebraismorum specimina sunt a multis observata & collecta, quæ quidem id efficere videntur, ut nemini dubitandum sit, quin cum oratione hebraica stilus Novi Testamenti praeter morem sermonis græci evidenter saepe congruat (c).

§. IV.

(b) Conferatur omnino ERNESTIUS loco citato §. 8.

(c) Hæc omnia, ut illustriora fiant, exempla nonnulla præstabunt. Vorstius in primis eorum magnam præbet copiam in suo de hebraismis Novi Testamenti Commentario. Nos inde potissimum planissima quædam carptim promemus.

Ad formam orationis universam pertinent periodi illæ breves & abruptæ, ad scribendi morem hebræorum conformatæ, a græca autem consuetudine tota via aberrantes, eademque particulæ, ut in hebreico sermone ob earum penuriam fieri necesse est, iterum atque iterum repetitæ. *Kai* e. g. idemtidem etiam iis in locis occurrit, ubi ex genio linguæ græcae aliis particulis opus fuisset, ut facillime videas,

Sed defensores puritatis ne hic quidem sunt negligentes rerum suarum; quippe qui argumento utuntur

καὶ illud vau præfixum hebræorum referre. Sæpè etiam plane supervacaneum est, ut idem vau e. g. cum *יְהִי*, cui ita posito in Novo Testamento respondet *καὶ* cum *ἐγένετο*. Sic *ἰδὲ* & *הַנָּה* *usu* & otiosa significatio valde sunt similes.

Vocabula quidem pure hebraica, ut *Messias* (מֶשֶׁאֵס), pro *χριστός*, *Ἄλληλός* (הָלֹו-יְהִי), pro *ἀνείπετε τὸν κύρων*, *Βελάλ* nequam, *αβαδδὼν* vastatio &c. nemo non agnoscit; sed ea nullius in re præsenti sunt ponderis: vix enim ulla lingua tam pura est, ut penitus verbis peregrinis, præsertim nominibus, careat. Illæ vero voces græcae, quibus præter necessitatem novis tributa est, hebraicam omnino dictionem plerumque sapiunt. Nisi enim hanc secuti essent Scriptores Sacri, putaverim eos vulgaribus res easdem significantibus vocabulis potius usuros fuisse. Itaque cum *σπλάγχνα* græce de visceribus dicatur, non autem de miseratione; hanc tamen huic voci sæpius in Novo Testamento tribui significationem reperimus, quod sit imitatione vocis *בְּחִרָּה*; quæ & viscera & misericordiam significat. Pari modo vox *אֲיוֹן* plane cum voce *עֲוָלָם* congruit, adeo ut illa quenadmodum hæc, præter græcam consuetudinem, etiam mundum significare jussa sit. Ut *קָרָז*, sic

tur eo, quod litem omnem pene dirimeret, si modus
vere firmum esset. Eo namque audaciæ progrediun-
tur,

δικαιοσύνη in Novo Testamento habet significationem solito latiorem, quæ pietatem quoque sive probitatem, imo liberalitatem seu beneficentiam comprehendit. Εἰρήνη & παῦσις pacem proprie significant; sed ad exemplum hujus, vocabulum illud quoque ad salutem vel incolumentem, prosperitatem & felicitatem significandam translatum est. Sic ψυχὴ & ψυχή, σάρξ & רִשְׁבָּה modo hebraicum aliquid redolenti gemina esse, pluribus ex locis patet. Sæpe verbo ποίειν sic usos esse Scriptores Sacros animadvertere licet, ut verbum πάντα spectasse videantur, & usus verborum αὐτισμοῦ & ἐπανισμοῦ, cum illud significat exoriri & hoc adoriri vel vim inferre, imitationem τῆς Θεοῦ hebraici aperte prodit. Valde frequens est περιπατεῖν & πορεύεσθαι, pro vivere vel se gerere, quod græcis est inusitatum; hebræis vero לְכַת & גָּוֹלְלָה sensu isto sunt usitatissima. Sed hæc sufficiant de vocabulis nove usurpatis.

Phrasium vero, quæ ad genium linguæ hebraicæ aut formatae sunt aut usurpatæ, nonnulla porro apponemus exempla. Apud MATHEUM c. XXI, 42 & MARCUM c. XII, 11, αὐτη & θαυμασην pro τέστο & θαυμασον more hebræorum adhiberi, quis non vel concicere potest? Idem judicium ferendum est de his modis loquendi: ἀπὸ Ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός, Apoc. c. I, 5; ὁ νικῶν, ποιησω αὐτὸν σύλον ἐν τῷ νοῶ

tur, ut omnia hebraismorum exempla, ab eorum tutoribus allata, pure græca esse contendant, & id quidem

B

τῇ Θεῷ μὲν, c. III, 12; ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ, ejusdem capitinis versu 21, &c.; cum e genio linguae græcae dicendum fuisset, τῇ μάρτυρος τῇ πιστῇ; τὸν νικῶντα ποίησο; τῷ νικῶντι δώσω. Ad majorem vim sermoni conciliandum solent hebræi verbo cuique finito suum vel aliud ejusdem notionis infinitum adjungere, ut ḥתְּמִית חֶמְתָּה, בַּא יְכֹא, רָאֵחַ רָאֵתוֹ, בַּא שְׁמַ�וּעַ, שְׁמַ�וּשׁ, &c. Tales locutiones in Novo Testamento ita videmus expressas: οἴων εἶδον, ἔχόμενος ἦξει, ἐπιθυμίᾳ ἐπεδύμησα, προσευχῇ προσήνεκτο. Εἰς γενέας γενέαν, εἰς αἰώνας τὸν αἰώναν & multa similia ponuntur, ut זְרוּם וְרוּם, לְעוּלָם שְׁלָמִים, in lingua hebraica.

LUCAS in c. I, 7, scribit: — προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν, prorsus ut hebræi בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל, ætate provecti. Ζητεῖν τὴν ψυχὴν τινὸς dicitur pro ἐπιβελεύειν τινὶ θάνατον, quemadmodum נְפָשָׁת נְפָשָׁת, insidiari vi-tæ alicujus, hebraice; itemque de cœna integra, θα-yēn vel ἀθλεῖν ἀγέτον, quæ locutio hebraicum illud נְאָלָה לְחַם imitatur. Manifestissimum porro dictionis hebraizantis indicium est, quod vocabula νῖος atque τέκνον frequenter secus, quam vulgo apud græcos, usur-pantur. Νῖος ἀπειδεῖς dicuntur infideles, οἱ ἀπειδεῖς; νῖος φωτὸς fidèles, οἱ πεφωτισμένοι; τέκνον τὰς ἄγρης, ira digni; τέκνα κατάργησ, maledictione digni; νῖος ἐξεγῆντος, salute dignus; νῖος γέεννης, inferno dignus; νῖος ἀπαλεῖας, interitui destinatus &c.; quæ phrasæ plane ta-

dem ita, ut apud Auctores Classicos eadem occurre-
re

Ies sunt, quales ope vocis בָּן hebræi formare solent. Idem, penuria adjectivorum laborantes, duo substantiva ita conjungunt, ut alterum eorum vices adjectivi sustineat. Mons sanctus illis dicitur שֶׁר, mons sanctitatis; vir robustus רֹזֵל, vir roboris; baculus ferreus שְׁבַט כְּרוֹל, baculus ferri; lapides leves רְלָקִי אֲכְנִים, lubricitates lapidum, i Sam. xvii, 40; beatus vir אֲשֶׁר הָאֹשֶׁר, felicitates vel felicitas viri, & alia ejusdem farinæ pâne innumera. Illis locutionibus convenient hæ Scriptoribus Novi Testamenti valde familiares: οἰνόνομος τῆς αὐδίκιας; λόγος ἀληθεῖας; ἐάθεδος εὐθύτητος pro ἐάθεδος εὐθεῖα, Iceptrum rectum; ποτήσιον τῆς εὐλογίας, pro ποτήσιον εὐλογητόν; μωρία κηρύγματος, id est, κήρυγμα μωρὸν; αδηλότης πλεγά, i. e. πλεγάς ἀδηλος, divitiae incertæ; καιότης ζῶντος, i. e. ζῶντος καινή, & alia ejusmodi plurima.

Hebraismum sapit & illud: προσέθετο πέμψαι, Luke xx, 11, 12; spectat enim usum verbi ξύι, addidit. Phrasis αἴρει ἐκχέει sensu occidendi est gemina phrasis hebraicæ רַמְפַשׂ, necare. Videre mortem (מְתַת) hebraicis est mori, & similiter in Novo Testamento ιδεῖν θάνατον dicitur pro ἀποθανεῖν. Pro σέδηποτε est ἐκ εἰς τὸν αἰῶνα, hebraice מְלֻעָה לְאַלְעָה, nunquam. Πρόσωπον πρός πρόσωπον respondet hebræorum פְּנֵים אֶל — פְּנֵים אֶל, facie ad faciem, pro coram. Verum pro nostro proposito affatim exemplorum iam recensuisse videmur. De figuris videatur GLASSII Grammatica Sacra in parte I. Philologiae Sacrae,

re dicant. Congestis igitur ex scriptis horum exemplis conati sunt & illi, quam vera prædicarent, ostendere. Fecerunt hoc ii, quos supra indicavimus, duces hujus sententiae. Neque est inficiandum, eos multa, quæ adversariis suis linguam hebraicam sapere viderentur, puritati restituisse; sed ab his contra patet factum est, eosdem haud raro mala fide egisse, cum id se reperisse jactarent, quod minime reperissent, recteque observatum, testes idoneos non esse omnes illos Auctores Græcos, qui editis jam codicibus Novi Testamenti scripsissent; quæ omnia etiamsi non ita es- sent, plurima tamen prorsus intacta superesse eviden- tissima hebraismorum exempla: quæ plus in hac lita secunda meo quidem judicio utique valent, quam ar- gumenta ista universa, quibus a priori, quod dici solet, sententia contraria tam pertinaciter a patronis suis defenditur, vel potius, defensa est.

§. V.

At præter vim exemplorum accedunt etiam aliæ quædam considerationes, quæ judicium de forma dictionis Novi Testamenti vera non parum adjuvent. Eas cum Rev. ERNESTIUS loco supra memorato (§§. 10. II.) præclare admodum, ut solet, exponat; ejus verba hic legenda exhibere liceat. "Argumentum non leve (dictionis hebraizantis) ducitur primum ex eo, quod multa græca in Novo Testamento non mo-

do in nullam linguam facilius ad verbum verti possunt, quam in hebraicam, ut ipse ERASMUS SCHMIDRUS, magnus alias puritatis defensor, fatetur (ad Math. IV, 4. XXI, 42 &c.), sed ne explicari quidem bene, nisi ex hebraicis possunt: quippe etiam in multis, si quis e consuetudine bene græce loquentium interpretari velit, sententiæ falsæ mirabiles & ridiculæ existunt, ut exemplis patet iis, quæ a WERENFELSIUS prolatæ sunt in Lib. de St. N. T. p. 358. & a nobis de Difficult. Interpr. Gramm. N. T. §. 12, quibus alia facile addi possunt, vid. v. c. EUNOMII Apolog. c. 24. Multis profecto erroribus caruisset omni tempore Theologia, carerentque etiam nunc libri multorum, si non hebraica græce explicata essent: ut passim etiam noster MELANCHTHON in commentariis monet. Nec illud non magnum argumentum est, quod interpres Novi Testamenti græci & latini, qui quidem hebraismi imperiti fuerunt, & in interpretando græcum sensum secuti sunt, in multis misere torquentur & plane ineptiunt, ut in συνδεσμῷ τελειότητος, monente MELANCHTHONE (in Comm. T. IV. Opp. p. 330), quod nunc etiam accidit parum peritis: cum ex hebraica consuetudine verba æstimantibus in iisdem locis plana sunt omnia. Hoc enim fieri nullo modo posset, si pure græca esset Apostolorum oratio. V. ERASMUS ad 2. Cor. XI, 6." (d).

§. VI.

(d) De nomine dictionis Novi Testamenti quoque litigiosa disputatione actum est, etiam ab illis, inter

§. VI.

Non igitur possumus, quin illam Novi Testamenti dignitatem, quam defensores puritatis ei tanto molimine conciliare studuerunt, vanam esse fateamur. Quæ tamen res plus commodi, quam detrimenti habere videtur. Summae nimirum in ea disquisitione, qua de Scriptoribus Novi Testamenti veris agitur, utilitatis est, omnia ad hos indicando consipirare, quæ in re tanti momenti fidem gignere atque corroborare & possint & debeant. Maxime igitur optabile est, ut etiam stilus Novi Fœderis ejusmodi characterum quam

B 3

sieri

quos de genuinâ ejus indole convéniret. Alii eam hellenisticam, alii hebræo-græcam, alii aliter appellandam censuerunt. De prima illa appellatione HARLES in sua Introductione in Hist. L. Gr. N. Test. Cap. III, n. 2, sequentem in modum differit. "Si quis aut nationem, quæ usq[ue] fuisse peculiari græco dicendi genere, aut peculiarem græcam dialectum intelligit, eamque hellenisticam vocat, tunc nego linguam esse hellenisticam. Contra, si quis illam dicendi rationem ex lingua hebraica et græca mixtam, quæ Judæis inter Ἑλλαῖς viventibus ab educatione, consuetudine, usuque tam hebraici codicis, quam versionis τῶν LXX propria quasi fuit & vulgaris, hellenisticam dixerit, equidem non adeo dissentirem."

Ceterum parvi refert, quale nomen cuique rei imponatur, si modo accurata definitione caveatur, ne quis illud perperam alii cuidam rei tribuat.

fieri potest apertissimam habeat significationem, ne quid supersit, quod ad auctoritatem librorum merito facrorum desiderari posse videatur. In his ergo, quam opportune non pauca reperiantur hebræum sermonem redolentia, facile cuivis intellectu est. Ita enim admodum sit probabile, eosdem ab iis hominibus, qui vulgo nec temere illorum Auctores Ministeriales habentur, litteris revera esse consignatos. At si pure omnia essent perscripta, nonne hostibus Christianæ Religionis ampla speciosaque suppeteret cavillandi occasio? Solent illi ceteroquin levissima quæque arripere, impias opiniones probaturi; quid si tanti roboris argumentum prostatet? Neutquam aut cunctanter aut ignave præsidio ejus uterentur, & multa profecto, quæ non sine caussa contra puritatem disputantur, a nobis quoque supra indicata, illi quam commodissime in suum usum convertere possent.

Tantum ergo abest, ut sententia hebraismos in Novo Testamento affirmantium, ad contumeliam vergat ejus & Spiritus Sancti, quod puritatis illius defensores putant; ut potius majorem Divinis Litteris fidem conciliet. Quamobrem HOFFMANNUS, præeunte ERNSTIO, verissime dicit: si Apostoli tam puro, uti DEMOSTHENES, dicendi genere essent usi, nemo facile crederet, ejusmodi libros ab hominibus Judæis conscriptos. Nunc autem ipsum scripturæ genus incredulos convincere potest, libros revera ab illis, quibus tribuuntur, Auctoribus compositos esse." (e)

§. VII.

Quid ergo caußæ sit, cur tantopere Theologiae studiosis linguæ hebraicæ peritiam Philologi Sacri commendent, facillime jam intelligi potest. Nam etiamsi a libris Veteris Testamenti recedas, nihilo minus hebræi sermonis maxima est commendatio. Cum enim ut verbis utar **SEMLERI**, Scriptores Novi Fœderis saepe *græcis phrasibus hebraice loquantur*, qui fieri potest, ut græce tantum scientes, eos recte intelligamus? Quam ridicule ad genium linguæ græcæ, quam contra feliciter ex lingua hebraica non pauca in Novo Testamento loca interpretati sint plurimi, commentarios tot tantosque insipienti statim patebit. Propterea, cum libri Novi Fœderis dignissimi sint, qui summa diligentia & quam rectissime explicentur; nihil omnino est, quod timeamus, ne inutiliter in lingua hebraica discenda operam collocemus. Submotis præterea jam impedimentis febre omnibus, methodoque docendi faciliori recepta; non est amplius tanti laboris ac temporis, quanti fuit antea, linguam sane utilissimam perdiscere. Nec vero Theologiam bene tractaturum decet, translatis tantum Bibliis esse contentum (f). Est enim & melius & tutius suis u-

ti

(e) In Notis ad PRITII Introductionem in Lectionem Novi Testamenti p. 329.

(f) — Wenn auch kein junger Theologe mehr in der absicht hebräisch lernen wollte, um das Alte Testament selbst verstehen, oder auch nur den Sinn derselben mit halber ueberzeugung andern nachbeten zu können; so würde ihm doch die erlernung der hebräischen Sprache blos um des richtigen

ti oculis, quam alienis, & nullo modo culpa vacat is, qui cum illud possit, hoc tamen facere malit. Proinde, si sedulo id damus operam, ut prudenti utentes diligentia fontes ipsos adire proprioque cortice natare possumus, non certe, quantum profecerimus, nos pœnitentia. Sed fortasse ea heic monere videbimus, quæ eorum, quorum hæc nosse interest, ignota sunt nemini. Atqui nihil sane optabilius nobismet ipsis foret, quam inutilem hoc nomine esse laborem materiae huic tradandæ a nobis insumtum. At si nec operam prorsus perdidisse judicari solent ii, qui res magni momenti, easque satis quidem notas, quæ tamen, pro more hominum, oblivioni tradi, vel in desuetudinem abire possunt, recolunt; si nunquam nimis dicitur, quod nunquam nimis discitur: qualemcumque nostram scriptiunculam, ne sic quidem omni plane fructu carituram esse speramus.

verstands des Neuen Testaments willen unentbehrlich bleib-
en; es wäre dann, daß man auch sogar unkunde des Neuen
Testaments einen christlichen Lehrer zu gute halten dürfte,
wenn er nur (was der Handwerker, wenn weiter nichts
verlangt wird, mit weit geringern Kosten und doch vielleicht nicht
selten mit größerm vortheile fürs Publicum, neben seinen
Handwerke auch lernen und treiben kan), D U E H E R S
Übersetzung, seinen Katechismus und ein wenig ungekochte und
unverdauta Dogmatik auswendig gelernt hat. SCHULZIUS in
Præfatione Chrestomathiae Hebraicæ p. 9.